

2000 TSJCL Sight Recitation
Level II

Cum ē Graeciā in Italiam redīrēmus et Brundisium irēmus
ēgressīque ā nāvī in terram in portū illō ambulārēmus, fascēs librōrum
vērālium expositōs vīdimus. Atque ego avidē statim pergō ad librōs.
Erant autem istī omnēs librī Graeci mīrāculōrum fābulārumque plēnī.
Percontātus pretium sum, et, adductus mīrā atque Īnspērātā vilitāte,
librōs plūrimōs aere paucō emō, eōsque omnēs duābus proximīs noctibus
cursim trānseō.

Erant in illīs librīs cripta huius modī: Scythōs, quī sub ipsīs
septentriōnibus aetātem agunt, corporibus hominum vestī; item esse
hominēs sub eādē regiōne caelī ūnum oculum in frontis mediō
habentēs; aliōs item esse hominēs singulāris vērōcitātis, vēstīgia pedum
habentēs retrō porrēcta, nōn, ut cēterōrum hominum, prōspectantia.
Praetereā trāditum esse in ultimā quādā terrā quae Albānia dīcitur nāscī
hominēs quī in pueritiā cānēscant et plūs cernant oculīs per noctem quam
interdiū.